

Hugonem fuisse Saxonicum genere & ortu, præpotenti parentela perhibet. (h)

Autor Vitæ Hugonis eum illustri apud Saxones genere ortum esse narrat. (i)

Gobelinus PERSONA, qui Ann. MCCCCXVIII. sexagenarius fuit, natione Saxonem vocat Hugonem. (k)

Theodoricus ENGELHUSIUS qui obiit A. MCCCCXXXIV. natum Hugonem vult prope Halberstad in Saxonia. (l)

Johannes TRITHEMIUS A. MDXI. mortuus natione Saxonem dicit Hugonem. (m)

Paulus LANGIVS, qui Chronicon suum Citicense usque ad annum 1515. produxit, in anno 1123. Hugonem natione Saxonem dicit. (n)

Hos sequuntur plures in quibus ROLEVINCKIUS, M. Hermannus CORNERUS, (o) Aubertus MIRÆUS. (p)

Item Henricus PANTALEON, Matthias FLACIUS Illyricus, Robertus BELLARMINUS, Joh. Gerh. VOSSIUS, Ferdin. UGHELLUS. (q)

Inprimis Henricus MEIBOMIUS Junior singulari scripto de *Hugonis de S. Victore Patria Saxonia* rem evicit. Cui sententiæ subscripsit Godofredus Guil. LEIBNITIUS in præfatione ad Alberici Chronicon, sive ad Accessionum Historiarum Tomum II. Tituli enim differunt.

In aliam sententiam videtur ire Robertus de TORINNEIO Abbas in monte S. Michaelis de periculo maris, qui in cap. 5. de Abbatibus & Abbatissis (r) de immutatione ordinis Monachorum agens Hugonem Lothariensem dicit. Inde Joh. MABILLONIUS Analector. T. I. pag. 326. arguit, Hugonem Lothariensem dici, quia de regno Lotharii, sub quo etiam Flandria atque adeo territorium Iprensis continebatur, fuerit Hugo. (s) Gemeticensis monachus

A 3

Lotha.

(h) apud God. Guil. LEIBNITIUM præfat. ad Alberici Chronicon pl. 1. f. 4. p. 1.

(i) apud LEIBNITIUM l. c.

(k) v. Cosmodromii Act. VI, Cap. LVIII. in Henr. MEIBOMII scriptor. rer. Germanic. T. I. p. 268.

(l) v. LEIBNITII Scriptores l. c.

(m) v. Joh. TRITHEMIUM librum de scriptor. Eccles. n. CCCLXIII.

(n) apud Henr. MEIBOMIUM de Hugonis patria l. c.

(o) v. LEIBNITIUS l. c.

(p) Schol. ad Henrici Gandavensis de scriptor. Ecclesiast. Cap. 15.

(q) apud Henr. MEIBOMIUM de Hugonis de S. Victore patria Saxonia T. III, Rer. German. p. 430.

(r) v. LEIBNITIUS præf. ad Albericum pl. 1. f. 3. p. 2.

(s) v. Henr. MEIBOMII scriptor. rer. germanic. T. III, p. 430.